

minima, ut vix sine microscopio eruantur, vidi tamen aliquoties longitudine calycis.

4. *Lepidium alpinum* Syst. nat. *Nasturtium alpinum* tenuissime divisum C. B. L. fol. pinnulis integerrimis, scapo subradicato, siliculis lanceolatis, mucronatis. *Amoen. acad.* 4. p. 321. descriptio.

5. *Arenaria multicaulis* Syst. nat. (non *Seguieri* t. 5. f. 2.) sed *Alsine* foliis lanceolatis, petalis integris calyce majoribus *Haller helv.* 380. t. 7. f. 3.

9. *Saxifraga stellaris*, sed macra species.

7. *Saxifragae nivalis* miserum specimen esse iudico.

Includo ramulum plantae e tuis seminibus ortae, quam et olim habui, nec umquam floruit; dicas mihi ad quod genus retulisti, non credo facile *Jussiaeo*, qui mihi genus rescripsit.

Habeo et plantam ab insula *Eustatii* et ex *Java*, quae flore accedit ad *Tuam Swieteniam*, sed deest in partibus floris $\frac{1}{4}$, adeoque calyx 4dentatus. coroll. 4petala. nectarium cylindricum *Meliae octocrenatum*. Stamina ad crenas intra tubum 8. Pistillum unicum. *Quaenam?*

Tandem floruit ex *Tuis* seminibus *Petiveria* *Tua*, quam dixisti habere 8 stamina, ita etiam revera habet, et est species distinctissima a mea, licet simillima, mox dignoscenda filamentis suis rubris.

Paucae, quod doleo plantae e tot tuis seminibus enatae fuere, variae scilicet *Mimosae*, *Cassiae*, *Phaseoli* et *Convolvuli*, *Piscidia*, *Morinda* et nonnullae aliae.

Pulcherrima me docuisti de *Avibus*, quod avide excepi.

Cimex oleraceus hac aestate in horto et ubique circa *Upsaliam* consumsit plerasque nostrates *Tetradynamistas*, ut vix semina obtineamus.

Per duos menses fui totus in *Capite b. Spei*, pervolvi *Herbarium* istius regionibus omnium perfectissimum, et multum ex eo profeci.

Si me ames cura ut habeam tuum librum. Caeterum